

GRATIA DEI

SVPERIORVMQVE

STOICOS

ΑΠΑΘΕΙΑΣ

FALSO SVSPECTOS,

PVBlicae ERVDITORVM
DISQVIVISIONI

SVBIICIVNT,

PRAESES

M. IOH. HENR. FISCHERVS,
GERA VAR.

ET

RESPONDENS

FRIEDERICVS Karg, ILEBVRGENSIS MISN.
SS. THEOL. CVLT.

AD DIEM VIII APRIL. M DCC XVI.

H. L. Q. C.

Handwritten notes:
Fischer
Karg
M. J. H. Fischer
H. L. Q. C.
a. XXXI. 37.

Coll. diss. A
34, 37

LIPSI AE,
LITERIS IO. ANDR. Zschau.

a. XXXI. 37.

GRATA DIE

SVPERVIVIT

STOLIOS

ATAOELAZ

FALSO SVPERFOTOS

PYBILGAE

DISOVISITOM



PRAESSES

MEIOM HEINR FISCHERYS

GRATA VAA

ET

RESPONDENS

FRIEDERICVS

AT THEOL GATE

AD DIEM VIM APRIL M DCC LXXI

M. L. G. G.

LIPSIEN

LITTERA IO. ANNO 1770

Handwritten notes and scribbles in the left margin.

Handwritten number '770' at the bottom left.



V I R O
G E N E R O S I S S I M O D O M I N O
D O M I N O
C A R O L O a *Seeßsch*/

D Y N A S T Æ auf Reichenbach und Friesen, &c.

S. REG. MAJ. POL. ET ELECTORI SAXONIÆ
A SUMMIS IN PROVINCIALI CAMERA
CONSILIIS, &c. &c.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,

S V M M O

V T P O T E

R E R V M M E A R V M

L O N G E A N G V S T I S S I M A R V M

P R O T E C T O R I A C M A E C E N A T I

S V B M I S S I S S I M E C O L E N D O

V T

T E L A E S T V D I O R V M M E O R V M P E R T E X E N D A E
A D E S S E,

A V X I L I A T R I C E S Q V E M A N V S

C L E M E N T E R F E R R E

N E

D E D I G N E T V R,

H V M I L

HVMILLIME

VALETVDINEM INTEGER-
RIMAM

FELICISSIMUMQVE IN SVB-
DITOS MODERAMEN

PRECATVS

DISPVATIVNCVLAM HANCCE STV-
DIORVM TESTEM

DAT, DICAT, DEDICAT

GENEROSISSIMI HVIVS
NOMINIS

SVBIECTISSIMVS CVLTOR ET CLIENS

R.

FRIEDERICVS Karg.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Recte omnino CL. WEISIVS existimat, quod plerorumque argumentorum resolutio nihil aliud sit, quam æquivocationis clara explicatio. Docent nos hoc multa certamina tum a Theologis tum a Philosophis instituta. Demonstraturi hujus asserti veritatem non est cur aliena a scopo nostro exempla in medium producere velimus, Disputationes satis rigidæ inter Aristotelicos pariter & Stoicos de affectibus agitatae, id satis superque commonstrant. Cicero, Galenus atque alii non immerito etiam annotarunt, quod magna pars stoicarum disputationum circa nudas voces fuerit sine laude consumpta, quod a Philosophis apprime cavendum est. Monet hoc Dissertatione MAGNIFICUS RECHENBERGIUS apud nos celeberrimæ famæ Theologus. Bene etiam notandum hic Vir Celeberrimus inculcat, id non sine prægrandi ratione esse concessum, ne Studiosi per hos terminos novos & horribiles a scientiis absterreantur aut confundantur. Simile accidisse ostendemus in ἀπαθεία Stoicorum, eam cum Tauro Philosopho Gelliano, non meo tantum, ut loquitur,

In Logica Latina p. 107.

de Eruditorum loquendi licentia §. 23. 25. A. 1669. hic Lipsiæ habitat.

Auli Gellii Noctes atticæ

cum Notis no-
visque Com-
mentariis &
accurata re-
censione An-
tonii Thysl.

J. C. & Jacobi
Oisell. J. C.
Lugduni Ba-
tavorum

CICEROCLXVI.
Libr. XII. C. V.
p. 631.

*Hæc dicuntur
ex iudicio Pa-
natii gravis at-
que docti VI-
RI I. C.

tur, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum iudicio*, improbaturo & abjecturo.

Præmissis itaque, quæ videntur præmittendæ, Bene-
volo Lectori de *HISTORIA STOICORVM* Capite I, ad
ΑΠΑΘΕΙΑΣ dogma Capite II, progrediemur, ex ipsis stoicæ
sectæ Philosophis aliisque Celeberrimorum Virorum li-
bris, quantum virium nostrarum tenuitas permittet, osten-
suri, Stoicorum prudentiores, ἀπαθειαν seu affectuum va-
cuitatem in disputationibus suis sermonibusque equidem
usurpasse, neque tamen sibi ita prout plerumque exponi-
tur, ἀπαθείας, vocem arrogasse. TE vero L. B. summo pe-
re rogamus, ut hanc dissertationem perlegens velis esse
ἐυπαθῆς, Supremum a. NVMEN, quod solum ἀπαθὲς sup-
plice voce veneramur, ut incepta nostra prospera esse
clementissime jubeat.

CAP. I.

§. I.



DE Stoicorum ἀπαθεία nonnulla dicere aggressuri, ZENONEM in medium producimus hujus Sectæ primum Auctorem & Fundatorem. Equidem, quia istam modo a *Socrate*, modo ab *Academicis*, modo a *Cynicis* descendere in Philosophorum monumentis legimus, facere non possum, quin hic paucis cum celeberrimo CHRISTIANO THOMASIO, seriem hujus sectæ a primis fere initiis deducam. Allata in medium græcicæ sectæ, in *fabulosam* & *non fabulosam* distinctione, ultimæ duas antiquitus fuisse sectas præcipuas, IONICAM alteram, alteram ITALICAM, ex quibus reliquæ prognatæ sint, Vir amplissimus edisserit. Missa nos Italica, IONICAM ex qua noster ZENO prodiit, ex eodem considerabimus,

In Introdu-
ctione ad Phi-
losophiam au-
licam C. I. de
Sectis Philo-
sophorum.

mus,

mus, ejusdem sequentem instituentes connexionem: IONICA
 cœpit a THALETE Milesio, qui unus & primarius ex Septem
 Græciæ sapientibus fuit, vel, ut alii probabilius, ab ANAXI-
 MANDRO Milesio, Thaletis discipulo, cui successit ANAXI-
 MENES, huic ANAXAGORAS, Anaxagoram vero audivit AR-
 CHELAVS, qui primus memoratur ex *Ionia* philosophiam Athe-
 nas transtulisse & SOCRATIS fuit Magister. Ex hujus scho-
 la multæ enatæ sunt Sectæ, unde & Græcis Scriptoribus hinc in-
 de primus Sectarum Autor dicitur, & Socratici crebro priscis
 pro philosophis fuerunt usurpati. Ex ejus discipulis arcte Magi-
 stro suo adhæserunt *Xenophon* & *Æschines*. Ex reliquis, sex
 memorantur novarum Sectarum conditores, ARISTIPPVS, unde
Cyrenaici, PHÆDO, unde *Eliati*, EVCLIDES, unde *Megarici*,
 PLATO, unde *Academici* & *Peripatetici*, ANAXARCHVS, un-
 de *Pyrrhonii* seu *Sceptici*, ANTISTHENES, unde *Cynici* & *Stoici*.
 ANTISTHENES, quem ultimo posuimus loco, in Gymnasio do-
 cebat, quod *κυνοσάγυες* appellabatur, unde Sectatores ejus dicti
Cynici, vel a canis aut virtutibus aut vitiis. Antisthenem audivit
 DIOGENES Sinoponensis, hunc MONIMVS Syracusanus,
 ONESICRITVS & CRATES Thebanus. Cratetem audiēre
 uxor ejus HIPPARCHIA, frater hujus METROCLES, ME-
 NIPPVS phœnicus & ZENO citticus. Hic Cratetem Cynicum
 & Polemonem Academicum audivit, quorum uterque a Socrate
 descendit. Idem VIR DOCTISSIMVS ex hisce omnibus tan-
 dem infert: Quare non mirandum, quod Secta Zenonis modo a
Socrate, modo ab *Academicis* derivetur, modo a *Cynicis* descen-
 dere dicatur. Atque Hic eodem loco dicit, Sectatores ejus
Zenonii & *Stoici* dicuntur a Porticu, in qua Zeno docebat.

§. II.

Plures vero una Porticus fuisse, docet nos SCAPVLA; fu- In Lexico suo
 sius tamen ALEXANDER ab ALEXANDRO, ubi non tantum voce ΣΤΟΑ
 Romæ, plures insigni Nomine fuisse Porticus perhibet, sed Lib. III. c. 23.
 Athenis etiam ubi Porticus quæ *Pæcile* vocatur, mentionem fa- Gen. Dier.
 cit, nomen ducentis à celebratissimæ picturæ varietate. Jam
 equidem VIR CL., quem jam laudavimus, porro tradit: Sed I. e. in fine.
 quia de *pæcile porticu* loquor, sciendum est, in hac *Stoicos* philoso-
 phari, sicut *Peripateticos*, in *Lyceo*. Quare Zeno, quod in porticu
 A 3 docebat,

Tractatu de
Philosopho-
rum sectis
Cap. XIX. §. 2.
p. 100.

l. c.

in colloquiis
menstruis,
m. Jul. 1688.
p. m. 116.
In Tractatu
elegantissimo
de vitis, dog-
matibus a
apopht. CL.
Philosopho-
rum.

* l. c. Cap. I. p. 9.

Opp. Philos.
Tom. V. L. III.
c. 1. Lugduni
M. DC. LVIII.
p. 192.

Lib. VII.

docebat, quæ græce *σῶα* dicitur, Autor Stoicæ Sectæ perhibetur. A *σῶα* *Στωικός* factum aucta vocalis quantitate, uti putat Gerhardus Joh. VOSSIVS, cum tamen Alexander, *σῶαν* inducit, jam vocali longa indutam. Sed de vocabulis controversias nobis moveri nolumus. *Στόακας* etiam appellatos huic sectæ deditos, ex ATHENÆI Libro XII. per contemptum equidem uti putat SCAPULA in voce *Στωικοί*, quod ut credamus, confirmat nos Comicus ille apud ATHENÆUM VOSSIO allegatum, *ἀκίστατ' ὧς τόακας ἔμπυροι λήγῃ.* Vos Stoici me nugivenduli audite.

§. III.

Hujus Sectæ philosophicæ, quæ tempore Epicuri Athenis inclaruit, teste CHR. THOMASIO, illumque osorem habuit, Architecton vocatur ZENO, Mnasy sive Demei filius, Cytticus ex Cypro græca civitate Phœnicibus accolis, ut refert LAERTIUS, & ex eo, ut verba fluunt, quem allegavimus VOSSIVS: * *Ζήνων κίτιεύς, ἀπὸ κύπρου πόλίσματος ἑλληνικῆς Φοίνικας ἐποίκις ἑχνηότος.* Zeno Cittieus ex Cypria civitate græcanica, sed quæ Phœnicas incolas haberet. Et Zenonem dictum etiam *Phœnicem* vel *pœnum* aut *pœnulum*, provocat ad Svidam: *Φοίνιξ δὲ ἐπεκλήθη (Ζήνων) ὅτι Φοίνικες ἔποικοι τῆς πολιχνίης ἐγένοντο.* Phœnix etiam vocabatur, quoniam Phœnices oppidi incolæ fuerunt. Huic jungit Libro IV. de finibus sic scribentem CICERONEM. Tuus ille Pœnulus (*scis enim Cittieos, clientes tuos, e Phœnicia oriundos*) verba versare cœpit. His suffragatur PETRUS GASSENDUS magni Nominis Philosophus: Imprimis, scribens, constat Epicurum & Zenonem illum Cyttiensem Stoicorum Principem fuisse contemporaneos. Siquidem, pergit, Aulus Gellius celebres scribit, eodem tempore extitisse, sc. ad annum fere à condita urbe CCCCLXX & Suidas testatur. Zenonem floruisse Olympiade CXX, quæ Epicurus etiam florebat. Hique scholam habuere simul ac multo tempore, tum Zeno in sua porticu quam Epicurus in suis hortis.

§. IV.

Heic notandum, quod octo Zenonis Nomine appellati fuerint, teste LAERTIO. Primus ELEATES, secundus HIC IPSE, tertius, RHODIUS, quartus HISTORICUS, quintus, CHRYSIPPI

SIPPI DISCIPULUS, sextus, MEDICUS HEROPHILIUS, septimus, GRAMMATICUS, octavus, SIDONIUS genere, Philosophus Epicureus. Hoc etiam non possumus non observare, quod monente eodem loco VOSSIO, non primi vocati fuerint *Στωικοί*, sed prius hoc nomen possederint, *οἱ διατρέιβοντες ἐν αὐτῇ ποιητῶν* Poëta, qui istis loci versarentur. Legat saltem qui hac de re dubitat, disputationem M. ROMANI TELLERI, ubi Vosiana De Existimatione apertè & citra ambages comprobat, Vir apud nos hodie Philosophorum Gentilium, imprimis Aristotelis Stagiritæ apud Christianos, SS. Theol. Licentiatus Summe Reverendus TELLERUS: Non plane excluduntur Oratores & Poëtæ Philosophorum numero. Neminem enim latet, veteres omnem omnium rerum cognitionem & scientiam, cum dicendi ratione junxisse, & Philosophos usque ad Socratem dictos fuisse Oratores. Similiter, pergit, & inter Poësin ac Philosophiam tale olim quasi conjugium sive amicabilis quædam confederatio extitit, ut antiquissimi poëtæ iidem cum Philosophis haberentur. Plures, qui hanc rem scriptis illustrarunt viros, pro sua eruditione affert laudatus Vir innotis subnexis. pro Loco hic: Lipsiæ 1695. habitam.

§. V.

Redimus nunc ad ZENONEM nostrum, occasio studia tractandi erat naufragium, quod fecerat ad Pireum, Purpuram ex Phœnicia mercatus advectans. Ea jactura statim subtristior factus Athenas ascendit annos triginta natus, seditque juxta Librarium. Egens autem ille secundum Xenophontis commentariorum, delectatus est, et jam lætior sciscitatur, ubinam ejusmodi Viri morarentur. Opportune tunc prætereuntem Cratetem digito Bibliopola ostendens, *hunc* inquit *sequere*, & ex eo Cratetis auditor factus est. Deinde etiam *Stilponem* audiisse, *Polemonem* & *Xenocratem* decennio perpetuo, non desunt qui affirmant. In summo honore apud Athenienses habebatur ZENO, adeo ut urbis ac mœnium apud illum claves deponerent, coronaque aurea & ærea imagine eum honorarent. ANTIGONUS Rex, si quando Athenas contenderet, auditor hujus Philosophi erat, multumque orabat, ut se ad eum conferret, id quod patet ex epistola ad eum exarata, quam exhibet in iis, quæ de Zenone scripsit Apollonius. Erat animo patientissimus & simplici vitu, crudisque cibus utebatur, & tenui pallio. Tandem nonagesimo

Stanleji Hist. Phil. Part. VII. C. VI. p. 549. *Antipater* :
 gefimo ætatis octavo excesit anno incolumis ac integer cum sine morbo vixisset semper. Sic autem obiisse enarratur: Discedens e Schola offendit, digitumque perfregit; Manu vero terram feriens, in hæc erupit verba: Ἐρχομαι τί μ' ἄνεις; En! adsum quid me oro vocas? Et continuo se ipsum strangulavit. Sequens vero Epigramma in eum confecisse perhibetur Sidonius

*Hic ZENO ille, decus patriæ, qui nuper Olympum
 Scandit, nec ossæ Pelion imposuit.
 Gesta etenim Magni non Herculis ista, sed altam,
 Virtute invenit, solus ad astra viam.*

aliud Zenodoto Stoico, Diogenis discipulo tribuitur, in honorem ejus confectum, quod his fuit verbis:

*Vixisti frugi, spreto prædivite luxu,
 Spectandus cano, Zeno, supercilio.
 Pugnasti ingenio, invenisti mascula verba,
 Et TIBI libertas dulcis amica fuit.
 Si patriæ es Phœnix, quid tum? nam Cadmus &
 ipse
 Phœnix, cui debet Græcia docta libros.*

§. VI.

Stoica hæcce Secta a Zenone erecta, multos dein nata est sequaces, tum in scholis Græcanicis, tum Romanicis. Inter Græcos Philosophos illi successit PERSÆUS Demetrii filius Citticus, hunc alii quidem famulum, alii vero necessarium illius tradunt. CLEANTHES, Phanii filius, Assius (ut Antisthenes ait in successionibus) qui primum quidem pugil fuit; profectus autem Athenas, Drachmis quatuor instructus (ut quidam ajunt)

ajunt) congressusque Zenoni, studiosissime philosophatus est, inque ejusdem decretis perstitit, & tandem illi in Schola successit. CHRYSIPPUS hunc excepit, Vir ingeniosus ac acutissimus in omni genere Orationis, Apollonii filius, Solensis seu Tarsensis, (ut Alexander in successione ait.) Hic primum lancea exercebatur, postea vero Zenonis sive Cleanthis (ut Diocles & plurimi tradunt) auditor fuit, a quo adhuc vivente recessit. Denique inter Sectatores hujus Sectæ Stoicæ præcipue hi eminent: SPHÆRUS Bosphoranus, DIOGENES Babylo-nius, ANTIPATER Sidonius, PANÆTIUS, POSIDONIUS Alexandrinus, ATHENODORUS Solensis, PHILONIDES Thebanus, CALIPPUS Ebrinthius aliive.

§. VII.

Inter Romanos vero, SENECA magnum decus & gloriam Stoicis, & exemplo suo & scriptis conciliavit. Dum hujus Viri mentionem facio, in memoriam venit Dissertatio Dn. Dr. ÆGIDII STRAUCHII, ubi multa de Stoicorum & imprimis Senecæ dogmatibus lectu dignissima commemorat. Plures ex hac classe Philosophos ex Sexto Empirico, quem sæpius nominavimus, enarrat VOSSIUS. Multi inquit, ex Nobilissimis Romanorum hanc Sectam sequebantur. Ut TUBERO, CATO, VARRO: Posteaque THRASEAS PÆTUS, HELVIDIUS PRISCUS, RUBELLIUS PLAUTUS: etiam hanc amplexus IMPERATOR M. ANTONINUS cujus tempore plures erant Stoici, quam alius Sectæ. ANTONINUS Imperator haud infimum inter Philosophos Stoicos locum sortitus est, de cujus Philosophia jam pridem erudite disputavit Dn. JACOBUS SCHALLERUS SS. Theol. Dr. Argentoratensis, quam disputationem si ita placeat, videas. De aliis pluribus qui hanc Sectam inter Romanos illustrarunt, dicendi locum, temporis angustia præsciindit.

De Christian.
Senecæ A. 1668
Jenæ habita.

L. c. Cap. XIX.
p. 107.

De philoso-
phia M. Anto-
nini Imp. ex II.
ipsius Libro
Τῶν εἰς ἑαυτὸν
de rebus suis
excerpta.

§. VIII.

Stoicos philosophiam suam in Rationalem, Moralem & Naturalem dividere Eruditi tradunt. Sapiencia enim rerum hu-
B mana-

manarum, est divinarum scientia; *Philosophia* exercitatio artis ad sapientiam *accommodata*. Est autem ei accommodata unica atque suprema *virtus*. *Virtutis*, latissimo sensu acceptæ genera sunt *tria*. Est enim *virtus* vel *naturalis*, vel *moralis*, vel *Logica*. *Naturalis*, qua in mundum & res mundanas inquiritur. *Moralis*, quæ circa vitam occupatur humanam. *Logica*, quæ rationem concernit, atque *Dialectica* etiam vocatur. Sic primus Zeno divisit Cirticus, in libro de *Oratione*, Chrysippusque in *primo de Oratione* atque in *primo Physicorum*, Apollodorus item Ephillus, in *primo introductionum ad dogmata*, Eudromusque in *moralis Compendio*, Diogenesque Babylonius & Posidonius. *Logicam* Philosophiæ partem, a reliquis distinctam omnes in universum Stoici tradunt. *Logicam* autem *Sex* partibus absolvi Cleanthes statuit: *Dialectica*, *Rhetorica*, *morum doctrina*, *civili scientia*, *naturali*, & denique *Theologica*. Nunc equidem placita hujus Philosophiæ partis heic sistere conveniret, sed cum magna eorum sit copia, neque in Compendium commode redigi possint, ad Historiam Philosophiæ THOMÆ STANLEII, ex anglico sermone in latinum translata, a VIRO cujus manes veneror atque reliquias osculor, & ante quinque annos hic Lipsiæ typis impressam, B. L. ablegatum cupimus.

Lipsiæ apud
Thom. Fritsch,
An. 1711.

§. IX.

Inter præcepta illorum moralia eminebant sequentia: Summum hominis bonum esse, naturæ convenienter vivere; Omne peccatum uniforme esse asserebant; Solam virtutem appellabant bonum, & quia seipsos existimabant solos sapere, jactabant solum Sapientem, (Stoica nempe virtute instructum) esse Regem, belli Ducem, magistratum, civem, Rhetorem, amicum, pulchrum, nobilem, divitem, passionum expertem: Defendebant *αὐτοχειρίαν*; Statuebant etiam, oportere, esse communionem uxorum apud Sapientes, ut quilibet illi congregiatur, quæ sibi prior occurrit, ut ait Zeno in *rep.* & Chrysippus in *Lib. de Republica*, Diogene itidem Cynico ac Platone hujus rei auctoribus. Omnes enim patrum instar æqua charitate diligemus, tolle-

tolleturque adulteriū suspicio & zelotypia: Nullam partem corporis esse occultandam affirmabant.

§. X.

Inter dogmata vero physica erant præcipua: Unum esse *DEUM* ipsumque & Mentem, & Fatum, & Jovem, multisque aliis appellari nominibus, & illum genuisse primum quatuor elementa, Ignem, Aquam, Ærem, Terram: Mundum hunc componi ex materia & anima, quo nomine ipsum *DEUM*, hoc est ignem purissimum intelligebant: Cuncta esse Fato obnoxia imò ipsum *DEUM*, licet nolentem, secundum quod omnia pari necessitate evenirent, fingeant: Æternum esse mundum, ita ut hoc mundi systemate per flammam ignis diruto, & in pristinam formam mundi in creati reverso, novus prodeat per seminales rationes, qui idem Fatum, fit subiturus: Animam esse sensibilem, eamque esse nobis insitum & ingenitum Spiritum, ideo & corpus esse, & durare post mortem, esse tamen obnoxiam corruptioni: Hominis semen, quod emittit homo, una eum humido animæ commisceri partibus, pro comixtione rationis parentum: Porro foeminae semen infœcundum esse imbecillumque & Modicum & aqueum, statuebant.

§. XI.

Sufficiat ad nostrum, quod nunc attinet institutum, quædam eorum dogmata ex Laertio produxisse. Extant in publico a multis Clarissimis VIRIS, tum de aliis Stoicorum dogmatibus, tum eorum virtutibus vitiisque, edita Scripta & Dissertationes, quarum quibusdam, quas possidemus pro brevitate quam sequendam initio decrevimus, nunc allegandis nostram quod impendamus operam, non ægre ferat Lector. Sic heic non possumus non monere, quod optime, si multa excipias, Stoicos de doctrina morum esse meritos non neget *BUDDEUS* aliique clarissimi Viri, quorum tamen etiam præcipuos, quos admiscere in Philosophia errores dissertationibus quibusdam Academicis doctissime uti solet, ante oculos exposuit, rerum philosophicarum peritissimus jam laudatus nobis *BUDDEUS*. Non minorem

quoque industriam Stoicorum erroribus detegendis refutandisque, de exustione mundi Stoici inscriptis Dissertationibus & sparsim schediasmate historico, navavit Jacobus THOMASIVS. Luculenta etiam sapientis Stoici, offendis vestigia, in Disputatione de *Gaudio Sapientis*, quam disputantium Studio Anno 1701. Wittebergæ Prof. Publ. subjecit Dn. Christianus Röhrensee. Jungo his Dn. L. Val. ALBERTI, Lipsiæ nostræ olim Philosophum pariter ac Theologum celeberrimum, qui in Dissertatione Anno 1673. hic habita, de *Viri Beati ornamentis & instrumentis*, multa erudite de opinionibus Stoicorum justa atque commoda, ut ipse Vir B. loquitur, brevitate, exposuit. Idem hoc fecit, qui non prætereundus videtur, OMEISIUS, PP. Altdorffinus haud in celebris, qui, occasione *prudentem Aristolicum cum sapiente Stoico*, conferendi arrepta, de Stoicorum dogmatibus multa lectu digna collegit, de hoc themate Dissertatione Altdorffi Anno 1704 habita. Agmen claudie Summe Venerandus noster CRELLIUS, Vir rerum Philosophicarum notitia instructissimus, qui pro suo more, erudite & accurate, duabus dissertationibus de *Philosophia celebratissimi Stoicorum Magistri Epicteti* commentatus elegantem hujus Sectæ imaginem depinxit. Sed agmine clauso succurrunt flosculi, quos in suo Atriolo Philosophiæ, annotavit, hujus Academiæ dum vivebat, Professor P. celeberrimus HARDIUS. Plures possemus afferre, ab aliis longe pluribus viris de Stoicæ Sectæ indole habitas Disputationes, si, quos nobis ipsi constituimus, limites migrare otioque & patientia Lectoris abuti vellemus. Sed quod attinet Scripta & Tractatus, omnes supereminet Justi Lipsii Manuductionis ad Stoicam Philosophiam Libri Tres. Et tandem commendo præ omnibus cognoscendum Thomam STANLEIUM jam citatum in historia Philosophiæ, ubi accuratissime, sicut de aliis celeberrimis Philosophis multa verba fecit; ita fusius differens de Zenonis nostri patria, parentibus, primisque studiis, Præceptoribus, Schola & Sectæ institutione, honoribus, apophthegmatibus, morte, decretis, corporis animique habitu, Scriptis, Discipulis, Stoicorum dogmata & quæ ad cognoscendam hanc sectam faciunt, pertractavit, quem exscribere nec vacat, nec placet.

CAP.

S. 35 p. 14.

P. VII. Zeno
C. I. II. III.
P. 542.

CAP. II.

§. I.

Memores, quem disputationi huic destinavimus, scopi, in medium nunc etiam adducimus ΑΠΑΘΕΙΑΣ dogma, quod, qui virtutis vim *Teste Tullio*, mirifice tenebant, solique quondam Philosophi judicati sunt, Stoicis imputari elegantiorum literarum haud ignari nesciunt minime. Et enim, quod monuimus in praefatione, jam, ex falso intellecta ἀπαθείας voce multi sunt, qui nullos plane affectus in Viro honesto ac Sapiente esse debere imo nequidem posse, nescio unde edocti, disertis verbis Stoicis imputarunt. Eo audaciæ absit progrediamur, ut suo sensu potius abundare suisque rationibus niti permittamus, qui id in medium adduxere, viros eruditos. Stoicos autem omnino affectus Viro etiam Sapienti & honesto tribuisse, eosque nec radicitus tolli ac eradicari, ut nunc quidem pro virium nostrarum modulo demonstramus, operam in hoc capite altero navaturi sumus. Quod negotium ut distinctius exequamur, affectuum notiones, quas Stoicorum Schola induxit, ut evolvamur, haud immerito necessarium existimamus. Cum vero, inter illos, qui Stoicam doctrinam literis prodidere nobis eminent, L. ANNÆUS SENECA, EPICTETUS & M. ANTONINUS IMPERATOR, ex horum monumentis aliorumque interpretationibus, quam nunc defendemus hypothesein, confirmabimus. Prodeat in medium A. GELLIUS variarum rerum elegantiorum notitia vir florentissimus. Producit hic Vir locum e libro V. διαλέξεων Epicteti ab Arriano digestarum nobis servatum, in quo, quam in rem nostram subjungere placet, hæc refertur fuisse sententia: Visa animi, quæ Φαντασίας (imaginationes, ut notæ habent, quas semper adjiciemus) Philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis, ad animum rei pellitur non voluntatis sunt, neque arbitraria; Sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. Noscitandæ probationes autem, quas vocant συγκαταθέσεις (assensiones, approbationes, a verbo συγκατατίθεσθαι a

Auli Gellii No-
ctes atticæ ed.
cit. Lib. XIX.
C. 1. n. 13.

p. 1054.

Stoicis Pyrrhoniisque conficto: quod explicare solent per τὸ προσεπιδοξάζειν, h. e. assensione sua aliquid probare) quibus eadem visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu. Propterea cum sonus aliquis formidabilis aut cælo, aut ex ruina: aut repentinus nescii periculi-nuncius, vel quid aliud ejusmodi factum; sapientis quoque animum paulisper moveri & contrahi, & pallescere necessum est; non opinione alicujus male præcepta, sed quibusdam motibus rapidis, & inconsultis officium mentis, atque rationis prævertentibus. Mox tamen ille Sapiens, ibidem τὰς τοιαύτας Φαντασίας, visa isthæc animi sui terifica, non approbat, h. e. οὐ συγκατατίθεται, ἔδὲ προσεπιδοξάζει (non consentit, neque sua sententia confirmat, & assensione comprobatur) sed abjicit respuitque: nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter Insipientis Sipientisque animum differre dicunt, quod Insipiens, qualia esse primo animi sui pulsu visa sunt sæva & aspera, talia vero esse putat; & eadem incepta, quæ quasi jure metuenda sint, sua quoque assensione approbat, καὶ προσεπιδοξάζει, hoc enim verbo Stoici, quum super ista re differunt, utuntur. Sapiens autem, quum breviter & strictim colore atque vultu motus est, ἔ συγκατατίθεται; sed statum vigoremque sententiæ suæ retinet, quam de hujuscemodi visis semper habuit ut de minime metuendis, sed fronte falsa & formidine inani territantibus. Huc usque Gellius ex Epicteto.

§. II.

Cum Epicteti Dissertationes, quæ quatuor solummodo libris extent, oculis nostris perlustravimus, miramur quintum quoque διαλέξεων Epictetearum librum citari. Mutilus itaque aut imperfectas esse, quas habemus Epicteti Dissertationes, aut eodem argumento & titulo libros alios composuisse, qui perierint, nihil apertius a Gellii commentatore dici poterat, sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Attamen multa cum hac jam allata sententia in Epicteti scriptis, quæ supersunt, consentientia reperiri, qui hunc ex Stoica Schola egressum Philosophum diligenter cogno-

Lib. I. C. II.

p. 8. 9.

cogno-

cognovit, nunc edocendi locus non est, sufficit nunc nobis, ut observari potest ex § præcedente, ex hoc aliisque Stoicorum locis posse cognosci, quod videlicet hi celeberrimi olim Philosophi, tres statuerint *gradus* vel *motus* in affectibus sibi invicem, si non ipsis a mente reclamatur, *succedentes*. Primum equidem *involuntarium* per *Φαντασίαν* homini injectum, qui tamen affectuum præludium esse possit. Secundum *voluntarium*, ad quem *συγκατάθεσις* accedat oportet. Tertium, *impetum*, *rationis imperium respicientem*, qui excursio cum impetu sive *ἔργῳ* concipiatur. Nec discedit ab his affectus Stoicæ notionibus, quem erudite de Stoicorum dogmatibus in Dissertationum biga differuisse jam diximus Celeberrimus apud nos CRELLIUS, sed eosdem potius suo calculo comprobatur. Et sane posset hinc occasio de acribus olim Peripateticos inter & Stoicos de affectuum, non prout jam fecimus evolutorum bonitate & malitia agitatis controversiis, plura dicendi nobis enasci, si immorari hisce diutius per instituti nostri rationem nobis liceret. Sed adducit in hanc rem concinna, quam commendamus maximopere, summe Reverendi Dn. nostri Crelli dissertatio altera, quam inspicere B. Lector velit.

Diff. altera
p. 35.

§. XI. p. 36.

§. III.

Ego hæcenus equidem consentio, plerosque ad rem ipsam nec ad verba attendentes affectibus in sermone & disputationibus suis usos esse, ut ipsi quid iis sibi vellent, nescirent. Ast an tanta obscuritate istæ Stoicorum de affectibus locutiones laborent, ut nullas claras notiones admittant habuerintque, saltem apud accuratiores rerum verborumque Philosophicorum arbitros, id vero vix mihi persuadere possum. Nil ergo amplius deinde superest, quam ut non sine magna verosimilitudinis specie asseramus, eos qui ex mente Stoicorum loquentes vel ipsi etiam Stoici omnes affectus radicatus extirpandos & evellendos Viro sapienti & honesto pronunciant, doctrinam Zenonis aliorumque Stoicæ Sectæ prudentiorum non

rite

rite intellexisse, & hanc defensionem sententiam, argumentum & *πρόφασες*, quosvis, qui alias mortalium imbecillia pectora triste afficiunt, cruciatus subeundi, illis præbuisse.

§. IV.

Sic ego neutiquam omnium Stoicorum in me suscipio patrocinium. Scio enim idem de omnibus in omnibus ferre sectis iudicium non esse ferendum. Scio etiam quos affectus multi ex Stoicorum Schola egressi cum summa ἀπαθείας prostitutione subierint. Scio etiam quid memoriae prodiderit Plutarchus, libro *περὶ τῶν Στωϊκῶν ἐναντίων*, & libro *ὅτι παραδοξότερα οἱ Στωϊκοὶ τῶν ποιητῶν λέγουσι*. Et cognitis a me Ciceronis paradoxis, & quæ LIPSII Stoicæ Philosophiæ Liber VII. p. 151. sq. Tertius proposuerit, præterire me non possunt Stoicorum de affectibus aliisque in doctrina morali sententiis multa ἀσοφία & ἐναντία. Hoc saltem assero in præsentia, maximopere falli eos, qui eò absurditatis Stoicorum prudentiores progresfos censent, ut affectus in sua latitudine, & ut cum barbarie loquar, tota quidditate consideratos, a Viro Sapiente & honesto removerint. Missis tantisper hisce quæ huc non spectant, id potius nunc pluribus probabimus, Stoicos corpore suo affectus excepisse, sed si secundum & tertium affectuum gradus respicias, præside mente quantum fieri potuit, obstitisse. Quinimo ut ulterius etiam procedamus, si qui ἀπαθείας splendido nomine gloriati proferantur, voce linguaque equidem hoc prædicasse, aliud tamen ex conjunctissimo corporalis miseræ in mentem influxu calamitatum miseria obrutos, quod non mireris, docuisse.

Lib. III. Diff. VII. p. 151. sq. Manuductionis ad Stoicam Philosophiam.

§. V.

Jam si quæras, quomodo itaque ἀπάθεια juxta Stoicos intelligenda veniat, audiendus est GELLIVS, qui in scenam producit Stoicum Philosophum, qui imminentis naufragii tempore, non multum a cæteris in tanto periculo versantibus coloris

Libr. XIX. C. I. p. 1052 & sqq.

loris

loris & vultus turbatione differebat. Mox refert GELLIUS, græcum quempiam divitem ex Asia magno cultu paratuque rerum & familiæ, post depulsum periculum ad eundem Stoicum accessisse & illufurum, quam aliàs sine dubio ex eorum Scholis per famam perceperat, ἀπάθειαν ex eo quæfivisse: *Quid hoc est, o Philosophè, quod, quum in periculis essemus timuisti tu & palluisti? Ego neque timui neque pallui.* Simul narrat Gellius hunc Stoicum Philosophum aliquantum cunctatum, an respondendum ei conveniret, hoc dedisse responsum: Si quid ego in tanta violentia tempestatum videor paulum pavefactus, non tu istius rei ratione audienda dignus es, sed tibi sane Aristippus ille pro me responderit, qui in simili tempore, a simillimo tui homine interrogatus, quare Philosophus timeret, quum ille contra nihil metueret? non eandem esse causam sibi, atque illi respondit, quoniam is quidem esset non magno opere sollicitus pro anima nequisissimi nebulonis; ipsum autem pro Aristippi anima timere.

§. VI.

Nescio unde factum, quod AUGUSTINUS Vir antiquitatis ecclesiasticæ aliarumque rerum peritissimus, quem aliàs Peripateticæ Sectæ amatorem Scriptores vendunt, hunc GELLII Locum ex nostra mente explicaverit, cum tamen Aristotelici in hac re Stoicorum sententiis maxime reclamasse alii Viri probare videntur. Videtur ergo mihi, inquit sanctitatis laude præstantissimus PATER, ubi quæritur, utrum accidant Sipienti passiones animi, an ab eo sit prorsus alienus, de verbis eos potius quam de rebus facere controversiam. Nam, pergit, & ipsos nihil aliud hinc quam Platonicos & Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum sonum. Post pauca quæ subjungit Vir sanctus, provocans ad GELLII locum, quem integrum in § præcedente apposuimus, tandem infert:

C

Quæ

Vossius Tr.c.
C. VII §.2.
p.172.

In Lib. de Ci-
vitate Dei L.IX
C.IV. p.m. 825.

Quæ si ita sunt, aut nihil aut pene nihil distat inter Stoicorum aliorumque Philosophorum opinionem de passionibus & perturbationibus animorum. Utrique enim mentem rationemque Sapientis, ab earum dominatione defendunt. Et ideo, concludit, fortasse dicunt eas in Sapientem non cadere Stoici: quia nequaquam ejus sapientiam, qua utique Sapiens est ullo errore obnubilant aut labe subvertunt. Accidunt autem animo Sapientis, salva serenitate sapientiae propter illa quæ commoda vel incommoda appellant, quamvis ea dicere nolint bona vel mala. Nam profecto, pergit, si nihili penderet eas res ille Philosophus, quas amissurum se naufragio sentiebat, sicuti est vita salusque corporis: non ita illud periculum perhorresceret, ut palloris etiam testimonio proderetur.

§. VII.

Tom. II. Operum in quo Ep. & Qv. Nat. integris Justi Lipsii, J. Fred. Gronovii, Fromondi & selectis variorum commentariis illustrata, Ep. LXXI. p. 268. * Diff. Virum prudentem aristotelicum cum Sapiente Stoico Altdorfi, §. XII. n. e. p. II. l. c. Ep. LXVII. p. 245.

His suffragantur quæ nunc ex SENECA adducimus verba: Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoveo. Memini ex duabus partibus, illum esse compositum. Ad hunc Senecæ respexisse videtur, quem nunc iterum allegamus Exc. OMEISIUS, qui de ἀπάθειᾳ Stoicorum loquens, sequentia nobis suppeditat verba: * Equis Stoicorum Sapientem ex hominum eduxit numero, aut dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe, nullum sensum admittente submovit? Ne e scintilla, quod ajunt, flamma exsurgat, h. e. ne primi motus animum perturbent atque de sede sua deturbent, Stoicus cavet, dominium, ratione præside in illos exercens. Dadum hoc, pergit, quod videlicet ἀπάθεια Stoicorum nihil designet aliud, quam tranquillitatem a perturbationibus, cordatiores agnoverunt. His conveniunt quæ alibi de affectibus edisserit SENECA: Tormenta abesse a me velim: Sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. Quidni ego

ego malim non incidere bellum? sed inciderit, ut vulnera, ut famem, & omnia quæ bellorum necessitas fert, generose feram, optabo. Non sum tam demens, ut ægrotare cupiam; Sed si ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effœminate faciam, optabo. Ex his apparere putem, varias calamitates incidere posse mortales, haud obscurius inficias ire Stoicum.

§. VIII.

Heic jucundum erit, in medium adducere ex Lib. XII. c. V. p. 626.
 GELLIO alium Stoicum cum morbi cujusdam atrocitate col-
 luctantem. Cum Delphos, inquit GELLIUS, ad Py-
 thia conventumque totius ferme græciæ visendum Phi-
 losophus *Taurus* iret, nosque ei comites essemus; inque
 eo itinere *Lebadiam* venissemus, quod est oppidum anti-
 quum in Terra *Boeotia* affertur ibi ad *Taurum*, amicum
 ejus quempiam nobilem in Stoica disciplina Philosophum,
 ægra valetudine oppressum decumbere. Tunc omisso
 itinere, quod alioquin maturandum erat, & relictis vehi-
 culis, perguit eum properè videre, nosque de more quem
 in locum cumque iret, secuti sumus. Et ubi ad ædes, in
 quibus ille ægrotus erat, pervenimus; videmus hominem
 doloribus cruciatibusque alvi, quod græci colon dicunt, &
 febris simul adrapidam afflicti; gemitusque ex eo compres-
 sos erumpere; spiritusque & anhelitus e pectore ejus eva-
 dere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam adver-
 sum dolorem. Quis non videt in hoc Stoico ἀναλγησίας
 nulla reperiri signa, sed potius foras effrenati doloris violen-
 tias, licet cohibuerit, erupisse. Et sane quia dolorum gravi-
 tas, quibus cum concreditur firmata ratio, amicissimo vin-
 culo cum affectibus conjuncta est, non mireris, eum ipsum
 Stoicum, ut narrat GELLIUS, ad retinendam patientiam te-
 stimonio tolerantia, quam videbat, perhibito stabilisse. Plu-
 ra occurrunt, a Tauro Philosopho contra ἀπάθειαν Stoico-
 rum in hoc jam citato capite cum juvene quodam disputata,
 C 2 quæ

quæ cum prætermittimus, ex eodem cognosces. Nec est, cur ἀπαθείας nostræ diminuendæ ulterius immorari velle-
mus, pluribus ex Seneca aliorumque prudentiorum libris,
ut equidem animus erat, testimoniis ad probandam nostram
sententiam allegandis.

§. IX.

n Phil. Mor.
L. I. app. II.
C. XXXVI.
§. 16.

in Meletema-
tum Philoso-
phicorum
Coll. Ethico
Disp. Pract.
disp. XII. §. 5.

Non equidem sicco etiam pede prætereunda fuis-
sent, quæ ex Marco Antonino in rem nostram in medium
adducere debebamus; nisi THOMAS GAT-
KERUS, in præfatione multa hac de re disseruis-
set. Conspirant cum his, quos allegat Vir Laudandus WEN-
DELINUS, qui de Stoicorum etiam ἀπαθείας edisserens hæc
habet: inter hos cum fuerint Sapientissimi Viri, certe mi-
rum cordato videri posset, qui ad paradoxum huc delabi
potuerint, ut Sapientem nullo moveri affectu voluerint,
omnesque affectus damnare hominisque præstantia indignos
judicare ausi fuerint. Quæ causa, pergit, quod mitius &
benignius de hoc Stoicorum dogmate & paradoxo judican-
dum, censuerint docti Viri, & Stoicos a Peripateticis non
tam re ipsa, quam verbis tantum disfidere crediderint. Hæc
elocutus WENDELINUS noster, eadem quæ AUGU-
STINO, cujus sententiam allegavimus, jam olim Cicroni
in IV. de finibus quoque arrisisse affirmat. Idem hoc plu-
ribus suffragiis, quæ jam in ἀπαθείας explicationem ad-
duximus, ex Gellio & Seneca comprobatur & confirmatur. Nec
aliter ADRIANUS HEEREBORD summus Philosophus,
qui mirandum esse dicit, quomodo Stoicis vulgo tribuatur
quædam ἀπάθεια; dicunt enim, pergit, vulgo Ethici, Stoi-
cos statuisse quandam ἀπάθειαν, carentiam affectuum, eos-
que negasse affectus omnes. Sed tamen ego non credo ul-
lum Stoicorum contra tum sensum communem, tum expe-
rientiam ita insanivisse, ut affectus omnes sustulerit, solus-
que non viderit, quod omnes & sentiunt & vident.

§. X.

§. X.

Quod vero Aristotelici similia docuerint, haud difficulter comprobari potest ex jam laudata Excell. OMEISII Dissertatione. Postquam enim a Prudente Aristotelico in thesi XII removit affectus, in notis ita dicere, infert: Mirum forsitan adhuc cuiquam videri posset, quod a Viro quoque prudente affectus removeamus, quum neminem lateat, acres olim Peripateticos inter & Stoicos agitatae hac de quaestione fuisse controversias, sed, pergit, aut Averroës, quantum inter Scholasticos nomen! in Stoam transiit, castra Aristotelica turpi fuga deserens, aut Prudens erit ἀπαθής. Hic enim manu ipsum terens *Stagiritam*, Prudentem describit, *qui custodit opinionem suam, ne corrumpant eum mæror aut gaudium*, dum provocat ad ejus commentarium, ad Lib. VI. Nicom. C. V.

I. c.

§. XI.

Sed absit, ut putemus, Aristotelicos in doctrina de affectibus omni ex parte cum Stoicis conspirare, cum Scripta alia magnum satis in hac re utrorumque discrimen confirmant. Ut vero primarium dissensionis cognoscamus caput, adeundus est, quem magni aestumamus ADRIANUS HEEREBORD, qui has imprimis controversias accuratius meditatus, sequens format judicium: Aliud est, inquit, quod majori jure *Stoicis* attribuendum censeo, quod affectus statuerint, non esse motus aut actiones & passiones facultatis appetentis, sed quod voluerint eos potius esse opiniones ac judicia, actusque & motus facultatis cognoscens: Hæc enim quaestio agitari solet, *Peripateticos inter & Stoicos, an affectus sit animi cognitio,*
D 3 *opinio,*

I. c.

opinio, seu iudicium, quo res vel bona, vel mala iudicatur, an vero actus quo appetitus & una cor afficitur, ac movetur ad prosequendum objectum iudicatum ut bonum, & fugiendum objectum iudicatum ut malum? Stoici prius senserunt ac sustinuerunt teste Cicerone Lib. 4. Tusc. quæst. Acad. & Seneca Lib. 1. de ira Cap. 8. Optimum est inquit, primum irritamentum iræ protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus, (non sensibus) & dare operam ne incidamus in iram. Nam si cæperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil rationis est, ubi semel affectus inductus est, jusque illi aliquod voluntate nostra datum est. Faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, finibus bestis arcendus est: nam cum intravit, & portis se intulit, modum a captivis non accipit. Posterius ARISTOTELICI. De his & aliis controversiis plura differere nunc non attinet, quæ a WENDELINO & aliis Cl. Viris, quos in prioribus allegavimus, discussa reperiuntur.

§. XII.

Id vero est, quod tandem dubium mihi videtur, Stoicos tam absurdam de ἀπάθειας sententiam fovisse, si mecum expendo, quantum Patres huic Philosophiæ statuerint pretium. Unicum AMBROSII locum in medium produci-
mus: *Stoici, inquit, nostro dogmati concordant.* Idem hoc AMBROSII suffragium confirmat Commentator AUGUSTINI, qui hunc Patrem dixisse approbat, quod *Stoicorum Secta simillima sit Christianæ*

in Lib. de Civ.
DEI. L. VII.
C. 3. N. a.


stianæ

stianæ Religioni. Sed ne in castra Theologorum abire videamur, & dissertationis metam fere transgressi sumus, ad finem properamus, cætera Patrum judicia omis-
suri.

§. XIII.

Accipe igitur **LECTOR BENE-
VOLE**, hæc tenui dicendi ratione de Stoi-
corum ΑΠΑΘΕΙΑΣ disputata. Nobile
satis Thema, & dignum, quod ἀνεξετάστως a
nobis ex monumentis Philosophorum erutum &
elaboratum tuis oculis sisteretur, sed laborum,
quibus indies obruimur, multitudo, & angustia
temporis, quod huic dissertationi exarandæ
impendere potuimus, impedimento fuere, quo
minus, quâ quidem deceret, ea contra dissen-
tientes dexteritate disputandi nostras partes
tueri potuerimus. Tribuas his pro Tua in
nos cura, si quem deprehenderit, depre-
hendes enim omnino, festinatum cursum.
SANCTISSIMO NUMINI deni-
que decentissimas persolvimus grates, quod no-
stros conatus ita dirigere atque sua benedictio-
ne exornare voluerit, quo tandem istum sco-
pum

pum quem sibi habuere præfixum impetrave-
rint. Adsit porro nostris laboribus quos sem-
per in SUI NOMINIS gloriam
imposterum suscipiemus.





Ad Dominum Respondentem.



Lim quæ fuerint Zenonis dogmata Sectæ
Circa animi motus, rite docere cupis?
Gratulor hoc Specimen, optans ex pectore toto:
Ut faveat *Studiis* gratia porro Dei!

*Auditori suo dilectissimo publice disputanti
ita applaudebat*

D. Joh. Schmidius, PP.
& Consistorialis.

Ad Nobilissimum Dn. Respondentem Amicum Charissimum.

MEmoria beati Domini Parentis M. *Christiani Kargii, Pastoris montani Ilburgi vigilantissimi*, in filio vivere incipit, *in* cuius non in obscuro latitare possunt, sed largissima Dei benignitate in publicum prorumpunt. Quamquam enim tristi fato *beati Patris* educatione privatus, à teneris annis cum Elisæi discipulis parce admodum vivere, atque sustentationem duris modis quærere tibi contigerit, hoc ipso tamen magis cognoscenda divini Numinis providentia, qua benedictiones paternas & pias non inanes, nec frugales, sed opulentissime in libris extensas demonstrat, cum alii inexcusablem socordia presbi patrios custodiant lares, atque fanatica impressione publicos abhorreant eruditorum actus, Tu animi dona solenni specimine omnium oculis exponis. Perge hoc laudabili ausu. Et Deus ter optimus ter maximus in posterum Te opulentissimis & animi & corporis & fortunæ bonis largissime ditabit, id quod cordiciter precatur

Tuæ Nobilissimæ Dignitatis

Lipsiæ. die 4 April.
1716.

devotissimus

D. Christoph. Dondorff,
Facult. Jur. Lips. Assess.

D

Soll

Soll meine Zeile hier zu Deinem Preis erhärten,
 Wie sehr Dein Eysser sich nach Gottes Ehren zieht,
 So stell ich Deinen Fleiß zum rühmlichen Gefeierten,
 Da Dein getriebner Geist kein offnes Zeichen flieht.
 Ein Zeichen öffnet sich, wenn Du so viele Lehren,
 Mein Karg/ aus gutem Grund zu wissen, nachgestrebt,
 Und wenn Dein letzter Zweck nicht um das blosser Hören,
 Da auch nach Gottes Ruff um Thun und Lassen schwebt.
 Nahm nun Dein eiffrig Ohr zeithero solche Worte
 Der Lehrenden allhier mit Fleisse embsig an,
 So zeigt icht Dein Mund an öffentlichen Orte,
 Was Deine Zunge wohl mit Reden leisten kan.
 Der Gott, so folgt mein Wunsch, der Dich mit Gaben rüstet/
 Der lasse Dich Dein Ziel in vollen Freuden sehn,
 Und in der Krafft des HErrn und Segen lang gefristet,
 Verlangt zum Predig-Stuhl und der Gemeine gehn!

D. Johann Friedrich Hommel.

M. Andreae Stübels, SS. Theol. Baccal.

pauca verba

ad Respondentem Dominum Kargium:

Q*uae falso Stoicis tribuuntur, discutis; Una
 Discute, falsiloquax quae Tibi lingua struit.*

T*emporibus parcens, KARGI, brevis esse laboro,
 Dum video studiis Pondus inesse tuis.
 Haud parcis curæ, quamvis contraria dicat
 Nomen. Quanta tibi præmia cura dabit!*

*Hæc suo diligentissimo tribus abhinc annis & præsentis adhuc tem-
 pore Auditori, publicè disputanti, adscribere voluit*

M. Joh. Christoph. Hommel,
 SS. Theol. Baccal.

Du zeigest, Werther Freund, heut durch Dein respondiren
 Daß Deiner Väter Gunst nicht übel angewendt.
 Wirst Du ins künfftige dergleichen mehr tentiren,
 So siehet Deinen Fleiß ein ieder, der Dich kennt.

PRÆSES.

Man

An sage was man will/ so bleibt es doch darbey,
Daß alles was wir thun nur unvollkommen
sey/

Wo uns nicht auch zugleich das wahre Glücke liebet,
Und uns den Ancker selbst in unsre Hände giebet.

Doch was ich iht gesagt, ist darauf nicht gericht,
Was man sonst insgemein vom blinden Glücke spricht;
Denn dieses wissen nur die Heyden so zu nennen,
Weil sie den rechten Brunn des Glückes selbst nicht kennen.
Ein Christe lenckt vielmehr sein Auge, Herz und Sinn,
Bey seinem Glückes Lauff, zu seinem Schöpffer hin;
Er weiß, daß dessen Hand den ganzen Bau regieret,
Und unser Hoffnungs-Schiff nach seinem Willen führet,
Biß es den Port erreicht. Indessen ist fürwahr
Des Höchsten weiser Rath und Führung wunderbar.
Wir rudern offtermahls bey Kummer-vollen Winden,
Eh wir mit grosser Müh die frohe Küste finden,
Auf welcher der Compas so fest gerichtet ist,
Und wo der matte Leib die süsse Ruh genüßt.
Ja öfters müssen wir erst in Aegypten dienen,
Alsdenn pflegt unser Glück in Canaan zu grünen.
Es scheinen offtermahls nur Dornen aufzugehn,
Allwo hernach zuletzt die schönsten Rosen stehn.
Gesezt, wir finden uns als Wäysen ganz verlassen,
Gesezt, es will die Welt uns dießfalls spöttisch hassen:
Wir sehen endlich doch, daß Gottes hohe Macht,
Aus väterlicher Treu/ vor unser Glücke wacht.
Du kanst mir, Werther Freund, auch selber Zeugniß geben,
Du weißt, wie wunderbar Dich Gott in Deinem Leben
Durch seinen weisen Rath bißhero stets geführt,
Daß ieder, wer Dich kennt, mit Dir viel Freude spührt.
Du mustest alsobald bey Deinen ersten Jahren,
Da Du die Welt erblickt, den herben Schmerz erfahren,
Weil über deinen Haupt ein Traur-Comete kam,
So, daß der grosse Gott Dir Deinen Vater nahm.
Doch als Dein Vater starb, so blieb Dir Gott gewogen,
Und gab sich alsobald, da Du noch unerzogen,
Aus väterlicher Treu/ zu Deinem Vater an,
Und hat auch in der That noch mehr als Er gethan.

Wir

Wir dürffen überdieß das werthe Görlitz fragen,
 Da Gott sechs ganzer Jahr, Du must es selber sagen,
 Dich wunderbar versorgt. Auch unsre Linden-Stadt
 Zeugt selbst, wie Gott Dich hier fünff Jahr erhalten hat.
 Biß dato hat Er noch manch mildes Herz erwecket,
 das Deine Studia, wie du uns frey entdecket,
 Noch zu befördern sucht. Man find oft einen Freund,
 Ob es gleich auch der Welt fast gar ohnmöglich scheint.
 Ja will man, Werther Freund, nur bey sich recht erwegen/
 Wie Du des Höchsten Schutz und milden Vater-Seegen
 So ganz verlassen spührst, was Wunder! wenn man sieht
 Daß auch, wer weiß schon wo? Dein künfftig Glück blüht?
 Wir wollen Dir hierzu im Voraus gratuliren,
 Und unsre Pflicht dadurch in etwas observiren,
 Da Dein gelehrter Mund und Dein bemühter Geist
 Nunmehr publice gelehrte Proben weist.
 Gott sencke fernerhin auf alle Deine Thaten
 Den reichen Seegens-Thau! Er laß sie so gerathen,
 Daß sie zur Danckbarkeit ihm süßen Weyrauch streun,
 Und sich Gott/ Freund und Welt bey Deinem Glück erfreun.
 Wohl an wir zweiffeln nicht, Gott wird nach seinem Willen
 Gar bald den kurzen Wunsch auch wunderbar erfüllen,
 Man sag auch was man will. Indessen bleibts darbey:
 Daß alles ohne Glück nur unvollkommen sey.

Mit diesen wenigen und in höchster Eil gefertigten
 Zeilen wolte im Nahmen des ganzen allhier
 vertrauten Görlitzischen Collegii Poëtici dem
 Hn. Respondenten wohlmeynend gratuliren

August Heinrich Reinhardt,
 Not. Publ. Cæs.



Coll. diss. A. 34, misc. 37